



Nicolaus patria Phorcensis ob ingenij felicitatem operam literis dedit, atq; post rudimenta in patria percepta sese ad doctorū hinc inde gymnasia contulit. In ijs Græcæ & Latinæ linguae operam dedit, atq; earum usum sibi familiarē reddidit. Postea quoq; Iurisprudentiae incubuit, atq; doctissimis Iureconsultis adnumeratus fuit. Itaq; Argentinam uocatus bonas literas promouit, atq; cūctis gratissimus extitit. quin etiam Historiarum lectio ne delectatus, antiquorum & recentium populo rū res gestas explicauit, atq; abstrusa multò claria effecit. Itaq; Iohannis Cuspiniani Chronica de Cæsaribus emendauit, atq; etiam eius Consules il lustrauit. eandem operam quoq; in Arriani historia Græca de rebus gestis Alexandri præstítit. Scriperat is quoq; Isagogen in tabulā Græciæ Nicolai Sophiani anno 1545, quam postea ita recognouit & auxit, ut in septem libros ex creuerit, quibus quicquid in tota Græcia memorabile, & præcipue dignum cognitu apud optimos quosq; authores extat, uelut uno fasce complexus est. Cum autem Nicolaus se totum studijs consecrarit, rem literariam multis alijs lucubrationib; exornaturum non dubitamus, præsertim cum ea iam ingenij documenta dederit, ut omnibus doctis passim innotuerit, & præclaram nominis famam adeptus sit. Conrad. Lycosth. in Bibl.